



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

20. An potestas legislativa Ecclesiastica sit foeminis delegabilis? Et cursim  
quaeritur, si Regnum aliquod, vel Principatus pertineat ad Reginam, eaque  
nubat, ad quem pertineat leges condere? Ex part. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

generalia praecepta ferre pro tota Diocesi; quod ergo illa ferantur per modum legis parum refert, habito respectu ad tempus vacationis Ecclesiae; postquam autem Ecclesia habuerit Episcopum, ille poterit renouare huiusmodi leges; ergo neque illi prauiudicium fit, neque Ecclesiae, cum per hunc modum illi sufficienter subueniatur, sicut subueniretur per simplicia praecepta generalia. Adde quod per simplicia praecepta non ita bene subuenitur; sicut subuenitur per leges, seu statuta, quia simplicia praecepta obligant tantum incolas: statuta vero obligant etiam aduenas, & peregrinos.

8. Et ita nostram sententiam praeter Doctores citatos tenet Merolla tom. 2. disp. 4. c. 4. difficult. 2. n. 147. Layman lib. 1. tract. 4. c. 3. n. 12. Card. Tufchus tom. 1. littera C. concl. 56. n. 10. & alij penes ipsum.

9. Nec obstant argumenta in contrarium adducta, nam ad primum respondetur Capitulum primum ne Sede vacante citatum, non videri ad rem si bene consideretur; solum enim agi de separanda Abbatia quadam ab Episcopatu post mortem Episcopi, cui fuerat unita, & quidem per Pontificem, ne Sede vacante petita, quod non concedit Pontifex, ne Sede vacante quidquam ea in re innouaret, quod non videtur bene aptari ad praesens negotium.

10. Ad secundum Respondeo sufficienter ostendi ex capitulis a nobis citatis, nec cum potestate videtur modo amissile per non vsum, quia non tenentur quolibet euentu omni potestate sibi competente, vt possint indicare non esse opera pretium, nec prudens pro tantillo tempore quidquam innouare. De caetero, quod Capitulum Sede vacante, absoluat ab excommunicatione patet ex cap. vnic. de maior. & obed. cit.

11. Ad tertium Respondeo, id non impedire quominus id possit, cum sit illi iure concessum.

12. Ad quartum dico, non ita esse certum vtrum id non possit, quod si non possit dicendum id fieri, quod Pontifex non censetur ad id consentire, quia nullo modo est conueniens. Quaranta in summ. Bullar. verb. Concilium provinciale, asserit ante Concilium Tridentinum, Capitulum Metropolitanum potuisse Concilium provinciale celebrare. Ex his etiam inferitur responsio ad ea, quae in fauorem suae sententiae adduxit Pasqualigus vbi supra.

13. Ex his inferitur, Capitulum Sede vacante posse leges latas ab Episcopo praedecessore abrogare, neque hoc obstat Textui in cap. nouit, ne Sede vacante aliquid de bonis pertinentibus ad Ecclesiam, & dignitatem Episcopalem innouetur; sicut neque Episcopus Ecclesiae vacantis sibi subiecta alienare potest, cap. si quis Episcopum 10. q. 2. Non tamen aliquid dicitur de innouatione legum, quapropter immerito nomen Episcopi, mutauit Felinus in statum.

14. Nota etiam hic obiter, Capitulum Ecclesiae Cathedralis, etiam viuente Episcopo posse absque eius consensu leges, & statuta ferre obligantia suos Capitulares in his, quae pertinent ad rectam, & ordinariam gubernationem Ecclesiae, quia absque Episcopo in his rebus procedunt. Ergo signum est habere in illis iurisdictionem, atque adeo imponere posse leges, seu praecipua: nam gubernatio sine vi coactiua fieri recte non potest, & colligitur ex c. cum omnes de constit. vbi supponi videtur posse Canonicos, irrequisito Episcopo, ius in se ipsos statuere, quia tamen ius quod ibidem statuerunt omnibus commune non erat, ideo a Papa reuocatur: in rebus autem grauioribus, quales sunt abrogatio aliquarum Constitutionum, & alienatio, vel venditio alicuius fundi, necessarius est consensus Episcopi, & saepe Pontificis, ex cap. cum accessissent de constit. & ita tenet Beatissima Virgini datae sunt, & Felinus ibi num. 8. Glossa cap. 2. §. 2. verbo, Statutum de verborum significatione in 6. Syluester verbo Lex. qua Tom. 7. 1.

stione 2. Salas dissertatione 8. sectione 16. n. 84. Bonacina disp. 1. quest. 1. part. 3. num. 31. Suarez lib. 4. de leg. cap. 6. num. 11. & 120

RESOL XX.

An potestas legislativa Ecclesiastica sit feminis delegabilis?

Et cursum queritur, si Regnum aliquod, vel Principatus pertineat ad Reginam, eaque nubat, ad quam pertineat leges condere? Ex p. 11. tr. 3. & Misc. 3. Ref. 25.

§. 1. Negatiuam sententiam ex Victoria, & Soto docet Pasqualigus in Theol. tom. 2. disp. 50. sect. 15. n. 79. quod probat, nam in Ecclesia institutione mulier est exclusa ab omni Ecclesiastico officio; ergo non potest illi delegari potestas legislativa. Antecedens desumitur ex illo 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eas loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit, si quid autem volunt discere, domi viros suos interroget, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Et hoc est de iure diuino: nam subdit Apostolus, Cognoscant quae scribo, quoniam Domini sunt mandata, & 1. ad Timoth. 2. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse sub silentio; Consequenter probatur, Non potest Pontifex inuertere ordinem institutionis Ecclesiae, cum sit talis ex ordinatione Christi, ergo.

2. Dices solum sequi, quod non possit mulier docere, & exercere actus publicos iurisdictionis spiritualis ex officio, non autem ex delegatione. Contra, si ex delegatione ferret leges, adhuc faceret actus prohibitos secundum institutionem Christi: nam loqueretur in Ecclesia, & doceret, quia lex est loquutio, & doctrina dirigens circa agenda. Secundo, secundum institutionem Christi mulier coarctatur vt sit subdita, & non dominetur in virum; si autem ferret leges, egrederetur terminos subiectionis, & dominaretur in virum.

3. Verum his non obstantibus ego affirmatiuae sententiae adhaereo, & hanc sententiam ex Bonacina, & Salas docet amicissimus, & doctus Pater Nicolaus Baldellus in Theolog. mor. tom. 1. lib. 5. disp. 6. n. 11. vbi querit, vtrum saltem de potentia absoluta possit mulieri delegari iurisdictione Ecclesiastica ad ferendas leges, quae obligent per se ad mortale, & ad praecipuum directe in virtute Sanctae obedientiae, & respondet probabilissimum esse posse quod possit, sic enim quod possit illi communicari iurisdictione ad ferendas censuras, sicut & potest de potentia absoluta communicari laico admittit Paluda in 4. dist. 19. q. 2. ar. 1. ad 5. Nauarr. conf. 73. de sentent. excommun. lib. 5. Suarez de censuris disp. 2. sect. 3. n. 7. Henriquez lib. 13. c. 24. n. 1. Sayrus lib. 1. Theaurus c. 5. m. 17. & lib. 4. c. 2. n. 10. Salas disp. 8. cit. d. c. legibus sect. 19. n. 94.

4. Et quemadmodum cum muliere, quae polleat sapientia & sanctitate, potest dispensari, vt publice, & in Ecclesia doceat, vt de facto fuit dispensatum cum sancta Catharina Senensi, quae dicitur non semel habuisse sermonem ad Papam, & ad Cardinales; ita etiam potest dispensari, vt leges Ecclesiasticas condat, & praecipiat, verbi gratia, aliquod festum, vel ieiunium etiam directe sub mortali, cum praesertim oppositum non sit positum de iure diuino, neque hoc sit actus ordinis, vt est, verbi gratia, Confessiones audire, & sacramentaliter peccata absolueret, quod cap. noua de penit. & remiss. specialiter dicitur esse absonum, & absurdum vt fiat ab Abbatissis; quod clausula regni Caetorum neque etiam Beatissima Virgini datae sunt, quamuis alioqui dignissima atque excellentissima super vniuersos Apostolos.

Sup. hoc cursum in §. not. seq. ad lin. 8. & signanter a ver. qui tamen. & in alio eius annor. Sed legem per totam.

Sup. contentum in hoc §. in to. 7. tr. 1. Ref. 352. si-gnanter §. 1. inter p. & med. a verfu qui tamen, & seqq. & in aliis eius annor. Et sup. hac iurisdictione ibid. & pro laico in to. 9. tract. 2. ex Ref. 314. lege doctrinam. §. 1. & in to. 3. tr. 1. ex lata doctrina Ref. 75. si-gnanter in §. Nota. dnm est.

Sup. hoc in tom. 1. ref. Ref. 300. tenet in §. 11.



5. Et ad eandem nostram sententiam, præter Salas, Bonacinam, & Baldellum tenet etiam Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 1. conclus. 23. n. 31.*

6. Sed si aliquis curiosus quærat, si Regnum aliquod, vel Principatus pertineat ad Reginam, eaque nubat, ad quem pertineat leges condere? Varij fusè id disputant.

7. Sed dicendum cum plerisque pertinere ad Reginam; ad virum autem non nisi de assensu Reginæ.

8. Prob. ad eam pertinet leges condere, & Regnum administrare, cuius est dominium, dominium autem est Reginæ; illius igitur est potestas leges condendi, adeoque ad eam pertinet condere leges; nec refert quod maritus vocetur Rex, & honoretur tanquam Rex, quia potestas leges condendi non sequitur titulos honoris, sed solum ius dominij, & Regni, quod est penes solum Reginam.

9. Obiicit, vir est caput mulieris, igitur illius est leges condere; non vero mulieris.

Respondedo negando consequentiam in nostro casu, & dico virum esse caput mulieris quoad rem economicam, & familiæ administrationem, mulierem autem posse esse caput viri quoad politicam administrationem, quod satis patet, quia nullus negare potest eam esse caput politicum civium si maneat innupta.

Et hanc sententiam docet Præpositus in *part. 2. Dini Thomæ 3. q. 9. disp. 1. dub. 3.*

### RESOL. XXI.

*An Declarationes Illustrissimorum Cardinalium habeant vim legis? Ex p. 1. tr. 10. Ref. 29.*

Sup. hoc in trib. Ref. seq. & in tom. 1. tr. 5. Ref. 65. §. & quavis. & in tom. 7. tr. 1. Ref. 144. §. Addo. & in tom. 9. tr. 8. Ref. 6 §. ult. ad medium à ver. Addo. & in Ref. 100. seq. & in eisdem §§. & ver. signanter in fin.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docent aliqui, & ita asserunt, quod dictæ Declarationes non solum habendæ sunt, vt probabiles, & doctrinales; sed etiam vt auctoritatiuæ, & necessariae, tanquam si ab ipso Papa editæ fuissent; ita vt habeant vim obligandi in vtroque foro, non solum pro illis personis, ad quarum instantiam fiunt, seu in illo casu speciali, cui Congregatio respondet; sed, vt leges generales in similibus omnibus; & ita tenet Salas *de legib. tract. 14. disp. 21. sect. 12.* Cochier *tract. de permuat. benef. part. 2. c. 30.* Zipæus *in annal. iur. can. Epist. ad Lector. Léou. tr. de Inbil. part. 1. q. 5. n. 207.* Bellochius *de cas. r. ser. q. 2. n. 82.* Rodriguez *qq. reg. tom. 1. q. 1. art. 1. §. 2.* Gambarrupta *de cas. referu. c. 3. n. 6.* Lazarus *tract. de blasph. q. 10. n. 39.* Miranda *in Man. Pralat. tom. 2. q. 26. art. 11.* Homobonus *de exam. Eccl. par. 1. tract. 1. c. 10. q. 29.* Narbona *de appell. à Vicar. ad Episc. part. 1. n. 189.* Cochier *de fermur. benef. part. 2. c. 30.* Garcias *de benef. tom. 1. in prefat. vbi sic asserit: [ Quod attinet ad Declarationes sacre Congregationis, certum est, eas non esse Declarationes doctrinales, sicut latas à Doctotibus, & Iurisperitis; vt aliqui Theologi perperam dicunt; sed esse Declarationes definitiuas, seu decisiuas, vim legis habentes, vt leges recipiendas, vt pote latas ex commissione Papæ, & à personis habentibus interpretandi, & respondendi facultatem à Principe, vt apparet ex Bulla Sixti V. quæ est in part. 2. Bullarj, septima in ordine, vbi habetur facultas dictæ Congregationis; & eadem sacra Congregatio eandem Abbatiæ Messanensi sic respondit. Eadem ratio habenda est de his, quæ scribuntur à Cardinalibus Sacre Congregationis Concilij Tridentini, nomine ipsius Congregationis, ac si à Papa scripta essent, & aliàs sic censuit, Decreta, & Literæ Congregationis Concilij semotis libris sunt executioni demandanda, nec super his sententia, nec decretum aliquod est faciendum; & ita super Declarationibus sacre Congregationis Papa statim dat Breue, & Auditor Camere monitorium in eorum*

executionem, & Rota eas absque vlla controuersia, & dispensatione amplectitur, suscipit, & obseruat, vt praxis ostendit; & quamuis Declaratio sit facta ad instantiam alicuius, seu in casu particulari; tamen facit ius quoad omnes, & in vniuersum. ] ita Garzias.

2. At, his non obstantibus, non desunt præfatiissimi Theologi, qui contrariam sententiã docent, vt Petrus de Ledema ex Dominicanorum Familia in *summa tom. 1. de sacram. Pœnit. c. 13. diffic. 7. fol. mibi 285. vbi sic asserit: [Las Determinaciones de los Señores Cardinales no hazen derecho, como es cosa cierta, y aueriguada, tan solamente tienen fuerza en el caso particular que les preguntan, y es aumento grande en favor de aquella sententia, que parece que aprouean.] Idem docuit Sanchez ex Societate IESV de *matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 2. n. 10.* dicens: [Nec obstat Declaratio Cardinalium: quia de ea non constat authenticè, neque illi necessariò standum est, quamuis magnam habeat auctoritatem.] Ita ille, & post illum Io. Valerius in *differ. vtriusque fori. verb. Absolutio, differ. 1. n. 20.* & *verb. Nullitas, differ. 5. n. 2.* Pontius *de matr. lib. 5. c. 13. §. 2. n. 7.* Zipæus *in nouo Iure pontificio. lib. 5. tit. de pen. & remiss. n. 9.* Scetarius *in Prolegom. Bibliacis, c. 19. q. 11.* & Delrius *in disq. mag. p. 3. lib. 6. c. 1. sect. 3.* Bonacina *de legib. disp. 1. q. 1. punct. 8. n. 4.* Vega *in summ. tom. 1. c. 62. cas. 41.* & hanc sententiam probabilem putat Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 2. dub. 7. n. 5.* vbi ita asserit: [Otros dicen, que las Declaraciones de los Cardenales no obligan, hasta que el Papa las promulgue: porque es de razon de la ley, que se promulgue en especial, y hasta agora no ha permitido su Santidad, que se promulguen à la Yglesia en su nombre, y pareçeme probable.] Vide etiam Portel. *in dub. reg. verb. Cardinalium Declarationes.* Et ratio huius opinionis est: quia, vt asserunt supradicti DD. vt lex obliget, necesse est, vt promulgetur; sed dictæ Declarationes non promulgantur; ergo non obligant. Nec valet dicere cum Rodriguez, vbi supra, id procedere in legibus, quæ nouum ius condunt; nõ autem, quæ antiquum ius declarant: Declarationes enim cum ipsa lege à principio insunt: nõ respodetur, quòd, licet in manifestis Declarationibus legibus insunt, & ex se sine alia promulgatione obligationem afferant; secus tamen militat in dubijs, quia tales Declarationes sunt veluti nouæ leges, vnde noua publicatione egent; & idè nisi aliter per Sedem Apostolicam declaratur, casus cum supradictis Doctotibus, Declarationes Cardinalium maximè quidem ponderis esse, & ab iis nulla ratione recedendum sine firmissimo fundamento: attamen vim legis non habere existimo, neque standum illis necessariò.*

### RESOL. XXII.

*An Declarationes Congregationis Cardinalium sint decisiuæ? Ex p. 5. tr. 2. Ref. 96.*

§. 1. **P**RO parte affirmatiua & negatiua Barbosa nouissimè *de iure Eccl. lib. 1. c. 4. n. 81.* adducit ferè omnes Doctores, quos ego ipse antea adduxeram in *1. part. tract. 10. resol. 29.* quibus pro affirmatiua sententia nunc addo ipsam Barbosam *de iurisdi. adiunctorum, q. 17. num. 31.* Hieronymum Rodriguez *in compen. qq. regul. resol. 18. n. 82.* & Monetam *de iudic. conseru. cap. 6. num. 66.* Pro negatiua verò Antonium Yañez *in resol. de Episcopo Regulari, à num. 99. vsque ad numerum 104.* Molfesum *in summa, tom. 1. tractat. 9. c. 13. n. 43.* Hurtadum *de Mendoza in 2. 2. D. Thomæ, vol. 1. disp. 84. sect. 2. §. 25.* Laymanum *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 7. §. 7. n. 28.* Nec desinam etiam hæc apponere verba doctissimi Theologi Petri Ochaguaia *de Sacram. Pœnit. tract. 2. q. 40. num. 12.* vbi sic ait. Respondetur multas conditiones requiri, vt Declarationes Cardinalium

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Ref. 28 §. ult. ante mediũ, à ver. deinde, & in tom. 1. tr. 3. Ref. 60 §. Yauque, ante mediũ, à ver. Tum quia, & in Resolutionibus not. præterea signat in vi.

Quæ hic est Ref. antecedens, & in omnib. aliis eius primas, & secundæ annor.